



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. V. De erroneo Ethicæ fine.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

ETHICÆ LIBER I. 15

aliis in rebus. Unde M. Varro in libro de phi-  
loſophia, 288 ait eſſe opiniones de finibus bo-  
norum & malorum : quarum tamen pleręque  
fallæ ſunt. *praefertim De finib. 5.*

*Ecqua igitur ſententia ex his potiffimum  
approbanda?*

Eas quas recensui univerſas, quia probabili-  
ores ſunt, & aliqua videntur niti ratione, præ  
ceteris Ariſtoteles examinans certis argu-  
mentis refellit.

CAP. V.

De erroneo Ethicæ fine.

*Qua ratione arguis, ſummum bonum non  
recte poni in voluptate?*

Nihil quod nobis commune eſt cum bru-  
tis animantibus, extremus humanarum actio-  
num finis dici poteſt: Atqui voluptas eſt no-  
bis cum illis communis: Ergo non poteſt dici  
ſummum bonum.

*An honor igitur ſummum bonum?*

Minimè. Illud enim nõ eſt extra nos, & dif-  
ficulter nobis eripi poteſt: Honor autem ex-  
tra nos eſt. Videtur enim in honoratis potius  
quam in honorantibus conſistere: Honor ita-  
que ſummũ bonum vel finis hominum nõ eſt.

*Quid igitur eſt quod dicitur, Honor eſt ho-  
norantis, non honorati?*

Quia is honeſtè agit, adeoque honore di-  
gnum, qui alios debito honore afficit: qui mi-  
nus, turpiter agit.

*Quare autem in virtute finem hominis esse  
negas?*

Summum bonum, ait Aristoteles, non potest esse in otiosis: Virtus potest esse in otiosis, ut in dormientibus. In ea igitur summum bonum statui omnino nequit. Item: Quicquid conjunctum est cum maximis miseriis atque malis, non potest dici summum bonum: Virtus non raro maximis periculis est conjuncta. Non igitur summum bonum.

*Forsan ergo in divitiis hominis finem  
collocabis?*

Multo minus. Quicquid enim propter aliud, & non per se expetitur, non potest extremus hominum finis appellari: Divitiæ non per se, sed ob vitam nostram splendidè alendam expetuntur: Ergo, &c.

## CAP. VI.

Finem hominis non esse Platoniam bonorum Ideam.

*Nihilne Plato differit de extremo hominis fine?*

*Vide Platonem in 7  
De republ.  
& alibi.*

Plato constituit summum bonum esse universalem quandam ideam boni, mente tantum perceptibilem, quæ sit perfectissima virtutum cognitio, & in qua sit firma animi virtutè amplectentis assentio, ut nihil omnino in ea desiderari possit. Sed hæc sententia minus probatur Aristoteli.

*Quid igitur absurdi in illa sententia?  
Re ipsa quidem nihil est in Platonis dicto  
absurdi.*